

DE
PATRINIS.

TITULUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- 1 Antequam Parochus administret Baptismum, debet informari de Patrinis.
- 2 Patrini vocantur susceptores, sponsores, fidejussores, Patroni, Compatres.
- 3 Soli Patrini designati a Parocho contrahunt affinitatem spiritualem, si plures Patrini adhibeantur.
- 4 Si Parochi culpa, plures Patrini adhibeantur. potest Parochus puniri, et peccat mortaliter.
- 5 Mos invaluit duos Patrinos adhibendi.
- 6 Non est de essentia Sacramenti adhibere susceptores.
- 7 Peccat tamen qui eos omittit sine causa.
- 8 Congruentia susceptionis explicatur.
- 9 Cur non duo Viri, neque duae Foeminae adhibeantur?
- 10 Pater, aut Mater non possunt suscipere filium absque necessitate
- 11 Nullus datur casus in quo Parentes possint esse Patrini proprii filii.
- 12 A conjugatis fugienda est occasio cognationis spiritualis.
- 13 Infans esse non potest Patrinus.
- 14 Pueri habentes usum rationis possunt esse Patrini.
- 15 Usus rationis post septimum annum praescribitur.
- 16 Patrini debent esse confirmati.
- 17 Cui prohibeat Ecclesia officium Patrinatus?
- 18 Infideles non possunt esse Patrini.
- 19 Haeretici in Patrinos elegi non possunt.
- 20 Neque publice excommunicati.
- 21 Neque publice criminosi.
- 22 Neque Infames, sed in istis datur exceptis.
- 23 Neque qui sana mente non sunt.
- 24 Neque ignorant rudimenta Fidei.
- 25 Quando Patrini teneantur susceptos instruere?
- 26 Qui in paschate Communionem non susceperint Patrini esse nequeunt.
- 27 Non confirmati.
- 28 Qui ignorant Symb. Fidei.
- 29 Muti.
- 30 Publice poenitentes.
- 31 Clerici Saeculares juxta aliquas Synodos, non vero vi legis communis.
- 32 Monachi, Religiosi claustrales et Saemoniales.

} interdiciuntur a
susceptione.

- 33 Episcopi et Cardinales dispensantur.
- 34 An sit peccatum recusare officium Patrini?
- 35 Patrini suscepti ex voto.

Multum indiget de recenti Baptizatus, ut spirituali pabulo nutriatur ad fidem alendam, atque augendam, ne tractu temporis, deficiat in ea fide, quam professus est; ideoque pia mater Ecclesia instituit, ut nemo solemniter baptizaretur, nisi secum haberet fidei sponsorem, qui non tantum Testis suscepti Baptismi esset, sed fidejussor.

§. I. Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos susceptores, seu Patrinos elegerint, qui Infantem de sacro Fonte suscipiant, ne plures cuam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

1 Ista praevisio, seu ista antecedens notitia prudentem Parochum demonstrat, ne postea cum ad fontem pervenerit ad Baptizandum, disputandum sit de Patrinorum idoneitate, vel expectandum cum magno incommodo.

2 Ex quo Patrini suscipiunt infantes in ulnas sua, vocantur susceptores: quia vero tamquam Patres habentur in regeneratione Fontis, *Patrini* nuncupantur: praebent enim se ipsos loco Patris naturalis. Vocantur etiam *Patroni et Compatres*; necnon *Fidejussores* Coninck *de Sacr. q. 67. a. 7. n. 55.*

§. II. Patrinus unus tantum, sive Vir, sive Mulier, vel ad summum unus, et una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini: sed simul non admittantur duo viri, aut duae mulieres, neque ipsius baptizandi Pater, aut Mater.

3 4 Concilium Trident. *sess. 24. cap. 2. de Res.* hoc praecipit: Si plures adhibeantur Patrini, vult, solos designatos a Parocho contrahere affinitatem spiritualem. Quod si Parochi culpa, plures adhibiti sint, aut designati, Concilium jubet, eum puniri arbitrio Ordinarii. Quare notandum venit, Parochum contra hoc Decretum facientem peccare mortaliter, primo, quia videtur Concilium id graviter praecipere, cum jubeat puniri

contrafacientes; secundo, quia grave incommodum potest nasci ex praevaricatione hujus praecepti, scilicet multiplicatio, et incertitudo cognationis spiritualis, cui Concilium vult obstare, Coninck *d. l. n. 59.*

5 Mos tamen invaluit, duos tantum adhibendi Patrinos, et si unum, masculum semper, non vero foeminam, quae laudabilis consuetudo commendatur in Synodo Faventina Eminent. Rosseti juxta priscorum Canonum statuta.

6 Doctores tamen, inter quos Laym *T. 2 l. 5. tr. 2. cap. 9. n. 4.* opinantur quod Patrinus unus esse debeat, isque Mas, si puer baptizandus, et Foemina una si Puella baptizanda sit, cui concordat per modum exhortationis Synodus Ferrarien, sub Card. de Verme 1711. P. 1. *de Sac. Bapt.* ubi haec habentur: *Enixe hortamur, et valde laudamus, quod unus tantum, idest masculus masculum, et foemina foeminam a Sacro Fonte recipiat.* De essentia hujus sacramenti non esse susceptores asserunt Sot, in *4. dist. 7. q. unica, art. 10.* Sylvest in *summa, verb. confirmatio.* Peccare tamen omittentem dicit Chamerot *tr. 3. de confirm. cap. 7. dub. 2.* quod intelligendum est si absque necessitate id fiat; quia in hoc casu potest quis baptizari sine Patrino, Clericat. *de Bapt. dec. 37. num. 9.*

8 Congruentia hujus susceptionis est, quia sicut in carnali generatione Puer natus indiget Nutrice, quae eum lacte nutriat, ita aequum est, ut in regeneratione spirituali, quae fit per Baptismum, aliquis Infantem recens in Christo natum, e fonte suscipiant, ut illi lac spirituale doctrinae Christianae instillet, Fulien. *Theol. Sacram. cap. 11.*

9 Cur vero non duo Viri, neque duae Foeminae admitti possint ad suscipiendum Infantem, nemo adhuc, quod sciam, rationem assignavit; potest tamen desumi ex S. Thoma *3. p. q. 67. art. 7.* ubi ait: *Spiritualis regeneratio, quae fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali Parvulus nuper natus indiget nutrice, et paedagogo; unde et in spirituali regeneratione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et pedagogi, informando, et instruendo eum quasi novitium in fide de his, quae pertinent ad fidem, et vitam christianam.* In duobus Viris, vel in duabus Foeminis non potest verificari duplex ista conditio nutricis, et paedagogi, ergo in suscipiendo simul stare non possunt duo ejusdem naturae.

10 11 12 Aliqui volunt quod in casu necessitatis dispensari possint Pater, et Mater, ut valeant suscipere proprium Filium; sed isti non adverterunt, quod in tali casu potest quisque baptizari sine Patrino, ergo frustra Parentes suscipiunt talem Infantem. Nullus igitur datur casus, in quo Parentes Infantes baptizandi possint esse illius Patrini, et susceptores propriae prolis, *c. dictum est 30 qu. 1.* Si ullus daretur casus,

esset si nullus alius homo capax inveniretur, qui valeret ad suscipiendum talem baptizandum in Baptismo solemniter ministrando; sed tunc Baptismus solemniter evaderet privatus; et susceptio prolis solum inducta est in solemnizatione Baptismi, ergo in Baptismo hoc non esset necessaria susceptio per Parentes facta: Persona enim Patrini non est de necessitate Sacramenti: Megal. *Prompt. Theol. verb. Baptism. Patrin. num. 3.* Insuper addo, quod a Conjugatis fugienda est totis viribus occasio cognationis spiritualis, quae importat impedimentum usus Matrimonii, Clericat. *de Baptism. dec. 37. numer. 9.*

§. III. Hos autem Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit.

13 14 Etsi certa aetas non definiatur per nomen illud *Pu- bertatis*, attamen Infans, et qui non pervenit ad discretionis annos, Patrinus esse non potest Clericat. *de Bapt. dec. 37. num. 4.* Si enim clare non distinguit Patrinus mysteria, et articulos fidei, quomodo instruere poterit susceptum in Baptismo? Quare omnino falsa est opinio Barbosae, et DD. ab eo allegatorum *de off. et pot. Par. p. 2. cap. 17. n. 28. 29.* qui dicunt, non nocere si Patrini sint minores Infante baptizato; nam nullo jure statuitur, aut requiritur, ut sint majores; nec referre an sint majores, quia pueri cujuscumque aetatis possunt esse susceptores legitimi, modo habeant usum rationis.

15 Haec vero opinio est immediate contra nostrum Textum, qui quamvis per modum convenientiae loquatur, dicens: *convenit*: attamen plenissime est attendendus, et implendus in re tam gravi. Praeterquamquod usus rationis est aliquid minus quam aetas pubertatis, quae juxta Justinian. §. 1. *Instit. tit. quib. mod. tut. fin.* est post decimum quartum annum completum in masculis: et si plena aetas dici voluerit, erit post annum 18. in masculis; in foeminis vero 14. *l. arrogator 49. §. 1. de adopt. §. 4.* Usus vero rationis a Theologis post septimum annum communiter praescribitur.

16 Quo vero ad Confirmationem; quamvis DD. communiter loquantur de necessitate Baptismi in Patrino, et nihil de characteris Confirmationis: nihilominus hoc maxime decet: quia si Patrinus instruere debet susceptum in fide, magis ad hoc obtinendum valebit, si et ipse erit confirmatus in fide, juxta illud: *Propter quod unumquodque tali est, et illud magis.*

§. IV. Sciant praeterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos Infideles, aut Haereticos: non publice excommunicatos, aut interdictos: non publice criminosos, aut infames: nec praeterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei. Haec enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

17 Multi sunt, quibus prohibetur ab Ecclesia Patrini ministerium, seu officium in Sacramento Baptismi, adeo ut licet valide hoc munus obire possint, tamen illicite hoc faciunt, Layman de Bapt. cap. 9. num. 2. vers. praeterea. Primo igitur sunt expellendi a munere Patrinatus.

18 19 *Infideles*, nempe non baptizati, c. in Bapt. de consecr. et ratio est, quia quicumque spirituales filios de sacro Fonte suscipiunt, se pro ipsis fidejussores apud Deum constituunt; et quia qui non est baptizatus, et praedicta ignorat, vel praesumi potest illa non credere, vel vere illa non credit, cujusmodi non solum sunt Infideles, sed etiam *Haeretici*, qui in primis ab hoc munere prohibendi sunt, ut habetur in Catechis. Rom. c. 2. sect. 9 ideoque merito ab hoc officio arcentur: Nec admittendus est, ut sit hujus regenerationis Pater, qui illius adhuc filius factus non est, quia naturae ordo inverteretur. Haec omnia invenies apud Megal. *Prompt. Theol. verb. Bapt. Patrin. n. 3.*

20 *Publice excommunicati*, pariter arcentur, quia privatim excommunicati notorie non sunt separati a communione fidelium, ut illi, qui publice denunciati sunt, et omnino vitandi. Haec eadem regula currit pro *Interdictis*, si enim interdictus est cuidam ingressus in Ecclesiam, vel usus Sacramentorum, consequenter venit, quod eidem etiam interdictum sit fidejube de aliquo Sacramento.

21 Similiter *Publice Criminosi* vetitum est Patrinatus officium: Ita dicuntur illi, qui per plura enormia, et gravia delicta pluries processati fuere. Sicut enim criminosi propter malam praesumptionem, et infamiam ex criminibus resultantem, repelluntur, et fidem non faciunt in foro externo. Farinacc. q. 43. n. 178. q. 44 num. 25. Raynald. *Obs. Crim. t. 3. c. 33. §. 1. 2. num. 130.* ita cum testes, et sponsores esse debeant collationis hujus Saramenti, pariter a munere Patrini prohibentur, et fidem non faciunt in foro interno.

22 Sic et *Infames*. Sed Textus non distinguit, an infamia juris, an infamia facti, ex quo nec nos distinguere debemus, l. non

distinguemus, ff. de recept. arbitr. atque ideo quacumque infamia infames sint, Patrini in Baptismo esse non possunt.

Verum cum aliqua exceptione intelligi debet iste Textus, et aliqua limitatio illi danda est: Potest enim dari casus quod Satelles a Satellite, Carnifex a Carnifice vocetur ad suscipiendam ejus prolem, cum iis non liceat transilire fines ministerii sui. In hoc casu infamia haec posset tolerari ob difficultatem inveniendi Patrinum melioris notae, et non infamem infamia juris. Ad summum pro casu necessitatis esset considerandus. Quo circa, illud notatu dignum est quod narrat P. Foresti *Mapam. Histor. de Reg. Bohem.* Wenceslaum Regem semper incedere consuevisse cum Carnifice ad latus, quem *Compatri* sui charissimi nomine appellare solebat. Non tamen eo quia inter se ullo vinculo, seu foedere Sacramentali conjungerentur, sed ut demonstraretur, magnam necessitudinem inter eos usurpari. Hoc enim vocabulum *Compater*, aliquando significare amicitiae excellentiam monet Ducangius, epistolam adducens Stephani Papae III. Pipino Regi inscriptam his verbis: *Pipino Regi, et nostro spirituali Compatri*, ob amicitiae foedus et compaternitatis necessitudinem, ut explicat D. Petrus Damiani lib. 2. *epist.* 17. Haec habeo ex doctissimi Bacchini *Observationibus ad Agnellum, qui. et Andreas, in vita S. Neonis, observ.* 3. pag. 252. part. 1. Caeterum, omnes, et singulos qui secundum Canones cenceantur infames enumerat Anaclet. *T. 2. l. 2. decretal. tit. 20. §. 2. a num. 37.*

23 Uterius *qui sana mente non sunt*, amentes et furiosi ab usu Sacramentorum arcentur, *Olericat. dict. decis.* 80. qui nonnulla tamen illis concedit, et praecipue Extremam Unctionem: Sed cum in hoc suscipiendo Sacramento non requiratur, plena advertentia (saepe enim confertur Infirmis in agone positis) ideo potest et illis conferri. Ad exercendum tamen munus Patrini in Baptismo non sunt admittendi, quia cum debeant *Renunciare, Promittere, Postulare*, et similia facere pro baptizando, si mentem sanam non habent, id praestare non possunt. Potest tamen dari casus, quod non sit amentia continua, sed aliquod lucidum intervallum admittat: tunc durante lucido intervallo posset talis aeger suscipere baptizandum: laudabilius tamen esset si se abstineret.

24 Eodem excluduntur ab hoc ministerio *qui ignorant rudimenta fidei*. Verus adagium est: *Nemo dat quod non habet*. Quomodo igitur lac fidei praeverere poterunt noviter baptizato, si penitus de illa ignari sint? Quomodo isti discent sine Doctore? *ad Rom.* 10.

25 Tenentur Patrini susceptos suos instruere tunc quando hoc faciendi necessitas immineat, nempe si baptizati inter Infideles nutrirentur: sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo paren-

tes carnales, sive Parochos diligenter hoc facere. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur pro viribus, saluti spirituali hujusmodi filiorum curam impendere; ut docet D. Th. *in 3. p. q. 76. art. 8.* nec verum existimo id quod dicit Em. Sá, *in verba Bapt. num. 7.* et approbat Conick *in d. art. 8. num. 60.* nempe hanc obligationem ob desuetudinem esse quasi extinctam: nam in tantum non viget, in quantum inter Fideles regulariter cessat necessitas.

26 27 28 Istis a nostro Textu interdictis Patrinis, addit nonnullos alios etiam D. Carolus, *Act. p. 4.* scilicet eos, qui in Paschate communionem non sumpserint; Clericos saeculares, de quibus infra; non confirmatos sacro Chrismate, et eos qui ignorant Symbolum fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, etc.

29 30 Alios item superaddit Barbosa, *de off. et pot. Par. par. 2. cap. 17. num. 30.* nempe mutos, publicos poenitentes, et alios ibi relatos, *cap. parvuli, de consecr. dist. 4. Anchar. in rub. de cognat. spir. l. 6. n. 4.*

§. V. Praeterea ad hoc etiam admitti non debet Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares a saeculo segregati.

31 In hac exceptione non adnumerantur Clerici saeculares, et ratio ex ipsa Rubrica habetur, nempe quia isti non sunt a saeculo segregati: dicuntur enim saeculares quia in saeculo, et cum saecularibus degunt: propterea vigore hujus textus non possunt excludi: possunt tamen impediri ab Ordinariis vigore constitutionum Synodaliū. De facto D. Carolus *Act. p. 4.* illos expresse excludit, et ad illius normam multae aliae Synodi, et praecipue Ferrariensis sub Cardin. de Verme, *anno 1711. part. 2 pag. 33.* Cum tamen in aliquo casu ab ista prohibitione dispensatum sit, concludi potest, hanc esse restrictionem ad evitanda commercia inter Parentes Baptizatorum, et Patrinos Clericos.

32 33 Advertat demum Parochus ne susceptores sint Abbates, Monachi, aut Religiosi saltem claustrales, ut et Sanctimoniales, quia prohibitum est eos in Patrinos Baptismi adhiberi, *cap. non licet Abbati, de consecr. dist. 4.* et alii apud Barbosa, *p. 2. cap. 17. num. 31.* nisi hujusmodi Religiosi Episcopali dignitate praefulgeant, exemplo Gregorii, qui ex Religione promotus in Cardinalem, factus est Mauritii Imperatoris Compater, Barbosa. *d. l. qui affert plures alios Doctores.*

34 35 Hoc ultimum pro Corollar. quaeram: An peccatum sit recusare officium Patrini? Negative respondet Clericat. *de Bapt. dec. 37. num. 7.* nisi hoc fiat ob contemptum, vel nisi in magna necessitate esset requirens Patrinum. Ideoque Personam nobilem incessam fuisse a Diabolo, quia ex superbia detrectarit hoc officium respectu Rustici, notat Gobat *d. tract. 2. num. 571.* Cum sane pia, et laudabilis consuetudo sit nonnullorum, qui Patrinum ex voto suscipiunt, nempe Virum, seu Personam illam, in quam primo incidunt; et quae primo se illis offert, e domo exeundo, etiamsi vilis, et miserrimae conditionis esset: quod maximae humilitatis exemplum denotat.